



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 104. An Legislatoꝛ, uti alii, graviter peccet, si non observet suas leges.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

cant contra justitiam, & ad restitutionem tenentur, si frumenta v. g. vel alia vendant, ultra pretium à Principe statutum. Ita *Molina, Suar Sal. Tan. vid. Lay c. 13.* quia jus naturæ exigit, ut vendant precio justo; tale autem censetur, quod decernitur lege.

A D D E N D A.

Q. 104. *An Legislatores, uti alii, graviter peccent, si non observent suas leges.* *R.* Affirmant *Reiffenstuel* hic dist. 3. q. 2., si lex legislatorem æquè ac subditos deceat; Consentit *Cardin. Sfondratus* in Reg. sacerdot. l. 4. §. 2., addens tamen posse etiam se cum dispensare: Ratio autem, cur teneatur, est, tum quia scandalizarentur alii, si ipsemet transgredere-
tur, tum quia caderet in ipsum illud Christi *Matt. 23. v. 4.* *alligant enim onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere:* Hinc cap. 2. dist. 9. dicitur, *justum est Principem legibus obtemperare suis; & cap. cum omnes,* de Constit. refertur illud *Catonis,* *patere legem, quam tu ipse tuleris:* & notabile est illud Imperatorum leges ferentium, *L. digna vox,* 4. Cod., de Legibus & Constit. Principum, *digna vox est Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri; adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas; & revera majus Imperio est submittere legibus Principatum, & oraculo presentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* Similia effata videri possunt apud *Delbene de Imm. Eccl. c. 15 dub. 2.* E contra *Bonac. Less. Delbene & alii cum Castrop. d. I. p. 24. §. I. & Ills. t. I. d. 2. n. 17.* probabilius negant, & asserunt, per se loquendo, peccare tantum venialiter, nam

non peccat contra suam legem, cum lex dirigatur ad solos subditos, sed tantum contra legem naturalem, quæ dicitur eum debere se conformare Communitati, ut sic melius obtineatur finis legum & communis observantia: *turpis enim omnis pars est, suo universo nam congruens*, Cap. *Quæ contra*, 2. dist. 8. Jam verò videtur esse levis tantum deordinatio, si legislator quandoque non ita se conformet communitati. *Dixi*, per se loquendo, aliud enim esset dicendum, si per accidens inde sequeretur perturbatio, scandalum aut aliud grave inconveniens in communitate, & hoc solum videretur velle *Reiffenst.* Quid sit lex directiva & quomplex coactiva, diximus n. 651. An autem & quomodo Supremus aliquis Senatus vel Capitulum generale obligetur legibus suis vel antecessorum, videri potest *Lugo* in Resp. Mot. l. 6. d. 20.

676 Q. 105. *An pueri ante septennium completum tenentur legibus Ecclesiæ.* R. *Busenbaum* & alii n. 674. relati dicunt obligari legibus iis, quarum materia eorum ætati est conveniens, hinc *Esco* de poenit. d. 7. n. 42. docet tales pueros obligari ad Confessionem annuam, cum enim sint capaces præcepti non requirentis certos annos, si plenum usum rationis habeant, lex possidet contra eos, & hæc Sententia saltem suadenda est in praxi, cui etiam videtur assentiri *Castrop.* tr. 23. p. 20. Et contra *Diana* p. 10. t. 12. R. 37. 10. *Sanch. Burgh* cent. 2. cas. 24., ipsemet *Castrop.* tr. 3. d. I. p. 24. §. 2. *Ills.* n. 18. dicunt non teneri, quamvis plenum rationis usum habeant, quia leges Ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, ideoque neminem obligant, nisi habentem usum rationis, quem non præsumunt, nisi post completum septennium, leges enim positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, L.